



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

5 Antequam baptizentur, quandiu expectandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

4 Et, ꝑ ne parentum involvantur erroribus ab eis sunt auferendi, & monasterijs, aut Christi fidelibus ad educandum tradendi, ut *cap. Iudaorum, 28, quest. 1.*, non autem ad fidem sunt cogendi, *c. sicut de Iud.* quam tamen si inuitus suscepisse contenderit, cogendi sunt retinere, *cap. licet plerumque in fin. cap. de Iudais 45, distinct.* & Abb. *in cap. sicut Iudas num. 3. de Iud. & Sarrac.*

5 Ne autem ꝑ de voluntate baptizatorum dubitari contingat, Iudæus fugiens ad Christianos, & postulans baptismum, non debet repente baptizari, sed tantisper est expectandus, donec illius voluntas fuerit perfecta, qua scilicet se non si nistro animi impetu, & ex suis alicubi ægrè faciat, vel ex aliqua alia instabili, & leui causa, sed recta solum, piæque devotione motus ad regenerationis sacramentum venisse demonstrat: pro cuius voluntatis exploratione inter Christianos commorari, & stare debet totos quadraginta dies antequam baptizetur, ut *cap. ne, quod absit de consecr. distinct. 4.* & Abb. *in cap. sicut Iudæum, 2. de Iuda.*

6 Quæritur, ꝑ si eveniat, infantem Iudæum à Christianis baptizari, in scijs parentibus? Id fieri non debet, non enim debet quis per vim baptizari, *cap. Iudaorum & ibi gloss. 28. quest. 1. cap. de Iudais, 48, distinct. cap. ad fidem, 25, quest. 5, & cap. maiores S, item quæritur & ibi Abb. num. 2, de baptis.*

7 Nec filij Iudæorum ꝑ debent inuitis parentibus baptizari, ex quo illi sunt in parentum potestate constituti, Felyn. *in cap. sicut de Iud.* Abb. *in cap. 2. de conuer. in fidi. Alex. in l. multum, in fin. de verbor. obs. & conf. 71, num. 2, vol. 2, quos*

*citatur, & sequitur Vrsill. Affl. decis. 155, num. 1.*

8 Sed hoc casu ꝑ debet infans à patribus separari, & in loco tuto, ubi in fide instruat, educari: Ita respondit sac. congregat. Trid. conc. paucis abhinc annis Camillo Dadeo primo Episcopo Fossanensi. Vbi cum quædam Christiana nutrix cum infante Hebræo, quem lactabat, se in ædes cuiusdam, cuius fortè, contulisset, à nobilibus quibusdam adolescentibus idem infans fuit baptizatus, unde iure merito patres dixerunt, ut segregaretur, ubi in fide Christiana posset adulescere, ut diligenter fuit factum, & cautè, ne ullo modo parentibus, qui puerum anxie exquirebant, ad illum educandum via pareretur: & ita communi illius piæ ueritatis pecunia in pio loco fuit educatus: Nec erat ullo iure reddendus, ne in sacramenti suscepti contemptum, & ad Christianæ Religionis ignominiam, Iudæicam personam à suis denuò cogereetur assumere, & erroribus parentum rursus involvi, dicto capite Iudaorum 28. quest. 1.

Tum etiam, ut fidem, quam etiam inuitis parentibus acceperat, tenere adigeretur, ne nomen Domini blasphemaretur, & suscepta fides contemptui esset, atque ludibrio, dicto cap. de Iudais, 45. distinct.

9 Præterea ꝑ contra impressionem characteris cum indelebilis sit, nulla dari debet restitutio, nec potest: maximè cum quis inuitatur ad meliora, Abb. *in d. c. maiores, S, item quæritur num. 7, de baptis.*

Nam ꝑ dolus, quo quis ad bonum animæ inducitur, non impuratur, nec impeditur